

quem facit obiectu in insula Eubœæ. Aulis capaci nobilissimis portu. Bœotos Hyãtas antiquitus dixere. Locri deinde, Epicnemidij cognominantur, olim Leleges appellati, per quos amnis Cephissus defertur in mare. Oppida, Opus, unde opuntinus sinus, Cynos Phocidis in litore in Daphnus. Introrsus in Locris Elatea, & in ripa Cephissi (ut diximus) Lilea, Delphosq; versus Cnemis, & Hyampolis. Rursus Locrorum ora, in qua Larymna, Throniũ, iuxta quod Boagrius amnis defertur in Mare. Oppida Narycion, Alope, Scarpbia. Postea Maliacus sinus ab incolis dictus: in quo oppida, Halcyone, Eonia, Phalara. Doris deinde, in qua Sperchios, Erineon, Boion, Pindus, Cytinũ. Doridis a tergo mōs est Oeta. Sequitur mutatis sepe nominibus Aemonia. Eadẽ Pelasgicũ Argos, Hellas eadẽ Thessalia, & Dryopis, semper a regib. cognominata. Ibi genitus rex nomine Græcus, a quo Græcia: ibi Hellen, a quo Hellenes. Hos eosdẽ Homerus tribus nominibus appellavit, Myrmidonas, & Hellenas, & Achæos. Ex his Phthiotæ nominantur Dorida accolentes. Eorũ oppida, Echinus in faucibus Sperchij fluminis, Thermopylarũ angustia: quo argumẽto iij. M. p. inde Heraclea, Trachin dicta est. mons ibi Callidromus, Oppida celebrata, Hellas, Halos, Lamia, Phthia, Arne.

Thessalia. CAP. VIII.

IN Thessalia autẽ Orchomenus, Minyeus antea dictus: & oppidũ Almon, ab alijs Elmon, Atrax, Pelinna, fons Hyperia. Oppida, Pheræ, quarum a tergo Pierus ad Macedoniã proteditur, Larissa, Gomphi, Thebæ, Thessalia, nemus Pteleon, sinus Pagasicus. Oppidũ Pagasa, idẽ postea Demetrius dictũ, Tricca, Pharsalici cãpi cum ciuitate libera, Cranõ, Iletia. Montes Phthiotidis, Nymphæus, quodã topiario naturæ ope spectabilis: Buzygæus, Donacesa, Bermius, Daphissa, Chimerion, Athamas, Stephane. In Thessalia sunt iij. atq; xxx. quorũ nobilissimi Cerceti, Olympus, Pierus, Ossa: cuius ex aduerso Pindus & Othrys, Lapitharũ sedes. hi ad occasum vergentes: ad ortus, Pelios: oēs theatri modo inflexi cuneatis ante eos lxxv. vrbibus. Flumina Thessalia, Apidanus, Phœnix, Enipeus, Onochonus, Pamisus, Fons Messeis. Lacus Bœbeis. Et ante cunctos claritate Peneus: ortus iuxta Gophos: interq; Ossam & Olympũ nemorosa cõualle defluens d. Stadijs, dimidio eius spatio nauigabilis. In eo cursu Tẽpe vocantur v. M. pass. longitudine, & ferme sesquijugeri latitudine, vltra visum hoĩs attollentibus se dextera lauaq; leniter cõuexis iugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu. Accipit amnem Euroton nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est Homero) breui spatio portature abdicat: pœnales aquas dirisq; genitas, argenteis suis misceri recusans.

Magnesia. CAP. IX.

THessalia annexa Magnesia est, cuius fons Libethra. Oppida, Iolcus, Hormeniũ, Pyrrha, Me-

thone, Olizon, Promontorium Sepias, Oppida, Castana, Spalathra. Promontorium Aeanthium. Oppida, Melibœa, Rhizus, Erymne, ostium Penei, oppida Homolium, Orthe, Thespia, Phalanna, Thaumacia, Gyrrhon, Cranon, Acarne, Dotion, Melitea, Philace, Potnia, Epiri, Acaia, Attica, Thessalia in portum longitudo cccclxxx. M. passuum traditur, latitudo cclxxvij. M.

Macedonia.

CAP. X.

Macedonia postea cl. populorũ, duob. incluta regib. quondãq; terrarũ imperio, Aemathia antea dicta. Hæc ad Epiroticas gẽtes in solis occasum recedens post terga Magnesia atq; Thessalia, infestatur a Dardanis. Partẽ eius septentrionalẽ Pœonia ac Pelagonia ptegunt a Triballis. Oppida, Aegæ, in quo mos sepelire reges: Bœcæa: & in regione qua Pieria appellatur a nemore, Aeginium. In ora Heraclea, flumẽ Apilas: Oppida, Phina, Oloros. Amnis Haliacmõ. Intus Haloritæ, Vallei, Philacei, Cyrreste Tyrissei. Pella colonia. Oppidũ Stobi ciuiũ Ro. Mox Antigoniam, Europus ad Axium amnem, eodemq; noĩe per quod Rhœdias fluit. Herodea Scydra, Mieza Gordiniæ. Mox in ora Ichna, flumini Axius ad hũc finẽ Dardani, Treeres, Pieres, Macedoniã accolunt, Ab hoc amne Pœonia gẽtes, Parorei, Heordenses, Almopij, Pelagones, Mygdones. Montes, Rhodope, Scopius, Orbelus. Dein præiacete gremio terrarũ, Arethusi, Antiochienses, Idomenenses, Doberenses, Trienses, Allantenses, Audaristenses, Moryllij, Garesci, Lyncestæ, Othrioi, & liberi Amantini atq; Oreste, colonia Bullidensis & Dienensis: Xylopolita, Scotussai liberi, Heraclea Sintica, Timphei, Coronæ. In ora sinus Macedonici oppidũ Chalastra, & intus Phileros, Lete: medioq; flexu littoris Thessalonica, libera cõditionis. Ad hanc a Dyrrachio cxiiij. M. pass. Therme. In Thermaico sinu oppida, Dicæa, Pydna, Derra, Scione, Promontorium Canastræũ. Oppida, Pallene, Phlegra. Qua in regione montes, Hypsizorus, Epitus, Albione, Leuomme. Oppida, Nissos, Brygion, Eleon, Mendæ, & in Pallenense isthmo quondam Potidæa, nunc Cassandra colonia: Anthemus, Holophyxos sinus, Meciberna. Oppida Physcella, Ampelos, Torone, Sogostedes fretum quomontẽ Athon Xerxes rex Persarũ continenti abscidit, in longitudine passuum M. d. Mons ipse a planicie excurrit in mare lxxv. M. passuum. Ambitus radicis cl. M. colligit. Oppidum in cacumine fuit Acrothon. Nunc sunt Vranopolis, Paleotrium, Thyssus, Cleone, Apollonia, cuius incolæ Macrobij cognominantur. Oppidũ Cassera, faucesq; altera Isthmi, Acanthus, Istria, Grastonia, Heraclea. Regio Mygdonia subiaccens. In qua recedentes a mari Apollonia, Arethusa. In ora rursus Posidium, & sinus cum oppido Cermoro, Amphipolis. Libera gens Bisaltæ. Dein Macedonia terminus amnis Strymon, ortus in Hemo. Memorandum, in septẽ lacus eum fundi, priusquã dirigat cursum. Hæc est Macedonia, terrarũ imperio parita quondam;